

Apoc. 19. sentare, idemet Joannes interpretatur. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendido, & candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum. Vide Alcazarem in cap. 1. Apocal. Notatione 11. Adde secundum exemplum Sacerdotalis vestis, cujus hieroglyphicum uno complexus est versiculo Psaltes Psal. 131. Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultent. Etenim, si ornatus Pontificii, & Sacerdotalis singulas partes explores, nullam invenies mysticæ significationis expertem; de quibus tam multa S. Hieronymus in Epist. 128. ad Fabiolam, & Beda lib. 3. de Tabernaculo cap. 3. qui suum Commentarium ita exorditur: Vestes sanctæ Aaron, quas illi Moyses fecit, opera sunt justitiæ, & sanctitatis. Vide S. Gregorium lib. 4. cap. 4. in lib. 1. Reg. cap. 10. non longè à fine, Amalario lib. de Ecclesiasticis officiis, à cap. 18. Joannem Carnotensem Sermonem de significatione ornament. Sacerdotalium, Rupertum lib. 1. de divin. officiis, à cap. 20. & in Exodum cap. 23. Ambrosium lib. de Isaac, cap. 5. Hugonem Victor. lib. 5. de Sacram. à cap. 45. præter eruditos recentiores Riberam, Baradam & alios. Consultè S. Hieronymum, qui vestitum illum Israëlitaicæ sponse descriptum ab Ezechiele cap. 16. à vers. 10. refert ad perfectas virtutes, cultumque sponse religiosum, quod litterale est ejus capitis commentarium. Sic etiam vitam ab omnibus sordibus liberam, immaculatam, & puram, necnon virtutes, quibus semper nos amiri debemus, significavit Salomon illis verbis Ecclesiastæ 9. v. 8. Omni tempore sint vestimenta tua candida. Vide ibi Pinedam nostrum; & Del-Rio Tom. 2. Adagior. in 316.

703 Ut verò solidiora, & luculentiora appareant quæ de Primogenitæ Mariæ veste dicemus; prænoscere necesse est, justitiam originalem fuisse arcanum illum vestitum, quo Primogeniti ipsius Dei Adamus, & Eva per peccatum exuti, cognoverunt se esse nudos, Gen. 3. 7. Ita S. Aug. lib. 13. de Civit. Dei c. 13. & lib. 14. c. 17. ubi ita: Cognoverunt, quia nudi erant, nudati scilicet eâ gratiâ, qua fiebat ut nudi corporis, nullâ eos lege peccati menti eorum repugnante, confunderet. Eadem habet lib. 11. de Genesi ad lit. c. 31. & S. Ambros. lib. 4. contra Julian. c. ultimo. S. Ambr. lib. de Isaac & anima c. 5. ipsam innocentiam primo homini pro amictu asserit extitisse: Nec Adam nudus erat, quando eum innocentia vestiebat. Et lib. de Elia & Jejunio cap. 4. Oportus erat Adam virtutum velamine, priusquam prævaricaretur; sed tanquam exutus prævaricatione, vidit se esse nudum, quia indumentum, quod habebat, amiserat. Pulchrè de hac eadem veste disserit S. Bernardus Serm. 1. de Annunt. Uno virtutis nomine ipsam expressit Ecclesiasticus cap. 17. 1. De quo loco videri possunt Bellarminus lib. de Gratia primi Homini cap. 6. & Molina 1. p. Tract. de Opere sex dierum, disput. 27. conclusionem 8. præter Interpretes Ecclesiastici, Cornelium, Oliverium, Tufum, & Pinnam. Inde Paulus ad Ephes. 4. v. 24. dum ad spiritualem hortatur renovationem. Induite, inquit, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate. Quasi dicat. Induite veræ justitiæ, & sanctimonie novâ illâ stolam, qua Deus Adamum ornatum sibi similem condidit. Novi illius hominis sanctitati explicat Theodoretus.

Apoc. 19. 7.
Psal. 131.
Beda.
Eccles. 9. 8.
Iustitia originalis Adamo & Eva arcanus vestitus fuit, quo per peccatum exuti sunt. S. August.
S. Ambros.
Ephes. 4. 24.
Theodor.

704 Scholastici Theologi hanc originalis gratiæ vestem in spirituale & corpoream distinguunt, atque illâ quidem animam, hac verò corpus etiam primorum Parentum à prima creatione exornatum esse docent. Spiritualem animam vestem non aliam intelligunt, quam sanctificantem ipsam gratiam habitualem, cum cæteris virtutum supernaturalibus habitibus tam ad intellectum, quam ad voluntatem pertinentibus. Hujus justitiæ originalis privationem, seu nuditatem, quæ animam veste exuit sanctitatis, peccatum ipsum originale esse sentit S. Anselmus lib. 1. de conceptu Virginali cap. 27. his verbis: Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitam nuditatem, per quam omnes sunt filii iræ. Corporeum verò supernaturalem carnis amictum illum vocant, quo homo fomitis peccati expers reddebatur, atque ad ingenuam quandam honestatem excultus, & ad rationis legem exornatus incedebat. Sic utramque & animæ, & corporis vestem uno gratiæ nomine complexus est S. Thomas 1. p. q. 95. art. 1. secutus S. Augustinum. Porrò spiritualis ornatus animæ, gratia nempe sanctificans, cæterique virtutum habitus supernaturales, utpote qui Theologis omnibus compertissimi, ulteriori explicatione non indigent, quæ ad præsens institutum pertineat.

705 De mystico autem supernaturali corporis ornatu explicando, non convenit inter omnes. S. Thomas supra citatus, cum supernis divinæ gratiæ muneribus tum animam, tum corpus Adami ornatum docuisset, quibus & ratio Deo, & rationi corpus subdatur, rursus eadem q. 95. a. 3. addit. Hominem inslatu innocentie non solum habuisse virtutes, ac perfectiones illas, quibus anima subiciatur Deo, sed eas etiam, quibus sensibilis hominis pars rationi obtemperabat. Nam sensitivæ etiam hominis parti virtutes humanas inesse, disertè tradit 1. 2. qu. 56. art. 4. & 5. & de Virtutibus q. 1. art. 4. ad 7. & a. 10. ad 14. Gabriel Vaz. disput. 78. c. 4. Valentia disput. 5. qu. 2. puncto 2. Salas Tract. 10. disput. 2. sectio. 3. cum plerisque aliis Theologis. Cæterum etsi corporeus hic virtutum ornatus sensibilis hominis partem induerit, ad rationis ductum sequendum promptiorem reddiderit, & ad rationales functiones obeundas aptiorem effecit: quia tamen haud ita efficax naturâ suâ potuit extitisse, ut carnem ipsam cum præcipuis ipsius functionibus, sensu communi, & appetitu sensitivo, rationi prorsus subjecerit; hinc factum est, ut idem S. Thomas 3. p. q. 27. a. 3. & 4. eumque secutus ibidem Cajetanus, Suarez Tom. 2. disp. 4. sect. 5. & de opere sex dierum lib. 3. c. 12. num. 18. 19. 20. 21. & alii; præter illum corporeum habitum ornatum, singularem quandam providentiam addiderint, qua Deus contraria quæque submoveret, necessariaque suggereret, quibus & spiritus carnem obtemperanti sibi præstitisset, & caro ad nutum spiritui obsecundasset.

706 Verum - enim - verò, cum docti alii Theologi felicissimi illius status perfectionem expendierint, atque humanæ illi perfectioni convenientius fuisse existimaverint, ut nobilissimus obedientie hujus effectus, quo spiritui corpus, rationi sensus obtemperaret, per extrinsecam aliquam perfectionem ipsimet huma-

Originalis gratiæ vestis & spiritualis & corporeæ.
S. Anselm.
Mysticus corporis, supernaturalis ornatus accurata explicatur.

mano corpori inhærentem præstaretur, in eam mentem inducti sunt, ut præter corporeos illos supernaturalium virtutum habitus, sensibilem hominis partem expediens, atque ad supernaturales actiones proportionatè subeundas aptantes, aliam supernaturalem etiam adstruxerint qualitatem, quæ universam hominis carnem tam efficaciter imbueret, ut vires omnes compesceret, appetitiones concupiscentiæ comprimeret, totumque hominem ad rationis leges cohonestatum, festâ quâdam pace sedatissimum contineret. Ita sentiunt Durandum lib. 2. Sentent. distinct. 29. qu. 2. ad 1. & Molina noster in Tract. de opere sex dierum, disput. 27. conclus. 4. ubi per totum Prototyporum corpus diffusam arcanam hanc qualitatem computat. Inde mirum factum, ut universus homo, interior exteriorque cælestibus animæ ornamentis, atque supernaturalibus corporis vestibus cohonestatus in beatissimo illo justitiæ originali statu felix progredereetur. Hac porrò felicitate unius peccati flagitio miserè spoliatus, totoque illo tum spirituali, tum corporeo destitutus ornatu, in turpissimam & animæ, & corporis nuditatem evolutus, cognovit, erubuit, indoluit se esse nudum, & animâ per peccatum originale, & corpore per consequentia illud vitia. Ergo ad rem nostram.

707 Etenim amictum hunc supernaturalis vestimenti ornatu, novi orbis Protoplasti, Christus & Maria, per se ipsos cultissimum, atque ditissimum restituerunt. Tam enim Filius, quam Mater, à primis suis purissimis Conceptionibus, pretiosissimis justitiæ originalis ornamentis instructi in orbem sunt ingressi, scilicet cum gratiæ justificantis stola, cum corpore etiam supernaturalium habituum, perfectissimarumque qualiatum splendida toga compositi; quibus interius, exteriorque totos sese Deo obsequentes semper præstiterunt. Quod ad Christum hominem attinet, modò non disputat: explicamus tamen Mariæ nobilem ornatum, & vestitum: atque ex hac arcanæ vestis translatione absolutissimam Mariæ immunitatem disquirimus, & illustramus. Certè cum hanc caneret divinus Psaltes, Deiparam vestitu deauratam exornatam, eximia varietate distinctam cecinit: hoc est, ardentissimâ atque purissima charitate, cæterisque tam Theologicis, quam moralibus donis, ac virtutibus, quibus ad miraculum exulta, dextrum Regis lacus, tanquam primogenita Regina, à prima sua conceptione, tenuerit. Hinc Parisiensis Cancellarius Gerson in Serm. de Conceptione premens Davidicum hunc versum: Astitut Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, addit continenter, qua nunquam fuit in originali concepta. Sed audiamus de symbolica hac Mariæ veste, immunitatem ejus testante, nobiles Ecclesiæ Doctores.

708 S. Gregorius Neocesariensis, cognomento Thaumaturgus, in Serm. 2. de Annunt. sic scribit: Ave gratia plena: tu enim que reverè gaudio sunt digna, agis: quoniam immaculatam vestem, ἀσπίδον ἁγίαν, induas es, & zonâ probitatis succincta. Ita gratiâ plenam explicat Gregorius Deiparam, cujus vestem immaculatam, gratiâ nempe contextam, nulla unquam peccati labes infecerit. Suffragatur S. Damascenus Orat. 2. de Dormit. B. Mariæ post initium: Hodie Eden P. Ildelph. de Flores in Eccles.

novi Adam paradysum suscepit animatum, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vite, in quo operata est nostra nuditas. In Maria, novo Paradiso, & nihil fuisse damnationis pristinae, & veterem nuditatem Adami per peccatum originale inductam, per gratiam originariam vestitam, atque ornatam, asserit. Nonne satis perspicue? Consonat Andreas Jerofolym. in Serm. de Annunt. ubi explicans Angeli verba, quæ Ande. legit, Ave gratiosa, ita loquitur: Gratiosum Jerofoly. te dixi, quod omne in ventre tuo gaudium receptum sit: & quod stola tua verè sit gratiosa divinarum donorum splendore. Adnecto auream Ruperti sententiam ex lib. 2. in Cantica, ubi Deiparam sic Deus affatur: Tu Rupert. Maria à serpenti aurem non præbisti; imò inimicitias prima nuditate immunitatis non induisti; imò Spiritus S. obumbravit tibi, & ecce formosa es. Veni ergo Maria, veni: nam Eva ad latebras fugit. Observo Antievam Evam. Mariam primæ illius nuditatis immunem, nequaquam indignisse latebris, foliisque seculneis, quibus sese obregeret; nempe nihil illa unquam habuit, quod erubesceret; nihil turpe, cujus aliquando Mariam subpuderet ornatissimam, atque semper cultissimam.

709 Accedit S. Petrus Damianus in Serm. 1. de Nativ. B. Mariæ, ubi ex auro illo deprussimo, quo Salomon 3. Reg. 10. v. 18. Regium thronum convehisse fertur, auream Deiparæ vestem commendat: Hoc est aurum fulvum nimis, quo thronus Salomonis est vestitus; quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virginitate indutus est, ut meliori non possit. Vestis vestitam hanc dico, ac propriam, non hyperbolicam orationem. Id verò ut ostendam, haud velim ad Theologiam illam suffragere, quæ docet Dei Matrem, quâ talem, meliorem condidit minime potuisse: verum hoc, sed non ea Damiani mens, qui Marianæ vestis munditiam quaesito auri exemplo declarabat. Igitur, si munditiam spectes, neque Mater, neque Filius puriores, cultioresque vestiri poterunt. Id quod non aliis, quam Doctoris Angelici, & S. Anselmi verbis explicuerim. S. Thomas 1. Sentent. distinct. 44. art. 3. ad 3. Puritas, inquit, intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit. Fuit tamen sub Deo, in quantum erat in ea potentia ad peccandum. Hæc S. Thomas, quæ hausit ex S. Anselmo in lib. de Conceptu Virginali cap. 18. ubi ita: Sed quia decebat, ut illius hominis conceptio de Matre purissima fieret; nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret. Ad hanc itaque mentè dixit Sanctus Damianus, B. Virginem cælesti munditiâ, omnem peccati labem excludente, divinitus ita fuisse vestitam, ut melius non potuerit. Addo hic Dionysium Richelum l. 3. de laud. Virg. Mariæ art. 8. ubi cum docuisset, Deiparam justitiam originale habuisse his verbis exclamat: O incomparabilis, & unica Virgo, que innocentia vestem tam immunem servavit! Legendus S. Amadeus Monachus Cisterciensis, & Episcopus Lausanensis, S. Bernardo coævus, in integra Homilia 2. De Mariæ ornatu, vel justificatione quam Q 2 Ri.

Arcana qualitas per Adami corpus diffusa in statu innocentie.
S. Thaum. Vestis Deiparæ immaculata.
S. Damasc.

Richardus Gibbonus noster in ejus vita existimat de Conceptione Deiparae fuisse conscriptam: ibi Amadeus plura scribit de albis vestibus, de ornatu scilicet justitiae, & sanctitatis Mariae. Ac moneo, huc etiam spectare splendidam vestem, & ornatum Reginae Apocalyptricae, mystico sole amictae, luna calatae, & stellis coronatae.

Apoec. 12.

§. VI.

Materia Regiae vestis, aurum origine mundissimum, originariam exprimit Primogenitae Deiparae munditiam.

Cassiodor. Quarendi auri ratio ex justitia in sua origine.

710 Prudenter Cassiodorus honestam quaerendi auri rationem praescribit lib. 9. variat. Epist. 3. his verbis: Aurum per bella quaerere, nefas est; per maria, periculum; per falsitates, opprobrium: in sua vero natura, justitia. Nefarius, periculosus, damnatus, quartam quaerendi auri rationem ex justitia petitam commendat, qua scilicet aurum in sua quaeritur origine, inventum juste possideretur. Ita res habet: Dum sanctissimae Deiparae originariam munditiam exquirimus, nativum aurum in suamet quaerimus fodina. Procul hinc bella, procul contentiones, procul fallendi, & circumveniendi studia: uni justitiae sit locus, qua & Marianae immunitatis privilegium asseratur, & Reipublicae Ecclesiasticae utilitati interim consulatur.

711 Igitur cum Primogenitae nostrae Reginae vestem ex auro contextam non quovis, sed ab ipsa fodina defecatisimo, chethemio nempe (ut supra statimus num. 687.) Regius Plates cecinerit; quid, quaeso, aptius, quid Deiparae sanctitati exprimendae exactius, quae originaria puritate nobilissima sit? Certè quidem si auratus hic Reginae vestitus, ex hoc auro, nativà suà munditià nobilissimo textilis, originariam illam Mariae munditiam non significaret, quam à prima sua Conceptionis origine exorsa est, otiosam prorsus sacri nominis Chethem in tanta prophetia significationem esse, necessario fatendum erit; otiosum, inquam, auri hujus origine mundissimi propheticum symbolum. Atqui dixisse, vel apicem, vel jota unum mysterio in sacris Scripturis vocare, meritò pro ingenti piaculo damnarunt SS. Patres relati à nostro Salmerone Prolegomeno 9. Ergo ut ab ipsis edocti, in exponendis Scripturae vocibus accurati, ac religiosi sumus, plenam hanc sacri nominis Chethem, id est, auri origine mundi, notionem retineamus, absolutumque symbolum auri vestitus explicemus; illud unum praemittentes, aurum nempe esse charitatis, & sanctitatis symbolum, uti sancti Patres communiter observant. Vide Alcazarem nostrum in cap. 1. Apocalypsis, Notatione 12.

De nomine auri Chethem pro immunitate Deiparae.

712 Principio neque etymologia ipsa mysterio vacat. Verbum Chatham immundum, & maculosum esse significat. Nomen chethem ab eo ortum munditiam, ac puritatem praefert, atque hanc quidem per singulare quoddam privilegium: nam illud regulare erat, ut nomen primitivum proprii verbi significationem sequeretur. Igitur ingenioso atque artificioso hieroglyphico usus est Vates, qui non modò nomen, quod significaret aurum originaria puritate mundissimum, exquisivit, sed quod in ipsa sua significantia eximium mun-

ditiae privilegium exerceret, quandoquid ab immundo Verbo immunditiam significante, mundam ducit originem, mundam repetit significationem. Ingenioso, inquam, & artificioso hieroglyphico, ut Primogenitae nostrae Reginae munditiam illam originariam exprimeret, quae licet ex immundo Parente Adamo originem traxerit, tamen per singulare privilegium ab ipsa suae Conceptionis purissima origine, totius labis experta, & immunis evaserit. Haec de nomine, nunc de ipsius auri natura mysterium doceamus.

713 Etenim tam aptum, tam perspicuum hoc est Marianae immunitatis hieroglyphicum, ut vel indoctum, atque imperitum quempiam attentum reddat, atque ad mysterii intelligentiam facile deducat. Audi Jacobum Pererium nobilem quondam tum sapientiam, tum pietate in Viacensi Academia Doctorem, qui in lib. quem de singulari, & purissima Deiparae Conceptione Hispaniae dedit, piam admodum theorum commentatus est capite 9. in hunc modum: Haec est aurum illud purissimum nullà abjecti metalli sordè permixtum, semper gratià plena. Neque verò illam communem auro impuris recrementis sordido similem, aliqua unquam expurgatione dixerim eguisse; imò lectissimo, ac defecatisimo illi auro merito contulerim, quod nostrà etate, apud Indos repertum est. Apud quos in nobilioribus, atque purioribus terrae tractibus inventa sunt divissima auri venae eo usque puratae, ut nemo vel exactissimus aurifex coquendo possit ad purius expurgare. Illud porrò tam molle erat atque tractabile, ut instar mollißimae cerea diguis versare, atque in quamvis figuram conformare posses. Persuasum apud me id habeo, per divinam providentiam factum, ut nostris hisce temporibus rem adeò eximiam, ac singularem perspiceremus, qua quisquis pia religionis erga Marianae Conceptionis puritatem fuerit animatus, nunquam aptissimo sacri mysterii symbolo uti queat. Si enim Deus O. M. tam purum, tam molle conlisse voluit aurum (ex rebus quippe materialis ad spirituales licet asurgere) quidni existimabimus, Providentiam commodissimo exemplo auream illam Deiparae munditiam expressisse, & divinam semper voluntati per flexilem sese obedientiam submitit. Haec ille prudenter quidem ac religiosè.

De auri illius natura pro originali Mariae puritate.

Jacobus Perer.

Hieroglyphicum primogenitae auri ex Peruano desumptum auro pro Deiparae immunitate.

Auri mater qua?

Qui materiam auri violare non debatur, imò non fecit.

turam

zuram decuit, nobilissimi metalli puram matrem in prima illa opum origine conflare; & auctorem naturae non decuit propriam Matrem origine purissimam condidisse? Itane verò, primae Deiparae origini eam non decuit munditiam ingenerare, ex qua omnium gratiarum opulenta proveniret, quibus uterque orbis, caelestis terrestrique, plusquam Potosinis, Oruricis, Carabajensibus, Peraguensibus, omnibusque Peruanis thesauris, fuerat locupletandus? Qui matricem auri violavit, impunè non fecit; & munditiam Matrem purissima unquam origine exegerim, nativaque munditiae sede propulerim? Maxime cum sapientissimum ejus abavum Davidem audiam, ipsam, uti Primogenitam Dei auro mundissimo vestitu, atque origine purissimo ornatam à dextris divini Regis stantem?

Maria auro quovis purior, aurum non adulteratum. S. Damasc. Andr. Hierosolym. S. Justinia.

Conceptio Deiparae auro confertur mundissimo.

S. Maxim.

Maxim. Taurinensis.

715 Ab eodem Vate didicisse visi sunt Evangelici Patres; Joannes Damascenus, qui in orat. 2. de Assumpt. signato illam epitheto compellat aurum minimè adulteratum. Et Andre. Hierosolym. Hom. 2. de Assumptione, O quovis auro purior, & quovis sensili, & immateriali natura. S. Laur. Justin. qui in lib. de casto Connubio c. 9. eandem auro puriorem pronuntiat. Sed audiendi alii Patres, qui dum immunem Deiparae Conceptionem, commendant, auro confertur mundissimo, ut Davidi contestes videantur. S. Maximus Caesaraugustanus Episcopus Isidoro Hispanensi coaevus in eo Hymno, quem in sacrum Virginis Templum de columna composuit, tum Conceptionem ejus purissimam à Jacobo Apostolo, ceterisque Apostolis edoctam canit, tum illam auro confert mundissimo. Conceptionis aureae templo manent Eucomia. Eximium nunc accipe alterius Mariani Taurinensis Episcopi testimonium ex Serm. de Assumptione: Ductor mortis diabolus omne humanum genus in primo Parente veno nequitia sua potavit, quasi arborem in radice, atque quam proles propaginis prodiret, vitia vit. Inde est, quòd radix vitia quotidiana frondet, frondeque ejus indesinenter per mortem marcescunt. At saepe contingit quòd aurum fulgens reperitur in luto & ex pungente spina pulchre rubens oriatur Rosa. Hoc enim operante Providentià divinà, ex radice vitia sine vitio prodit virga, qua intelligitur B. Virgo Maria. De immunitate Deiparae in Conceptione aperte agit S. Maximus; illam tunc fulgenti auro comparat, ceteros Adamitas luto. Nihil signatus: regusta. Consonat S. Amadeus Lauanensis Episcopus in Homil. 2. de Justific. vel ornatu B. Virg. Mariae. Amadeo adscriptatur Amadeus Monachus in sua Apocalypsi, Rapu 4. Uterque Psalmographi verba premit maxime ad rem nostram. Nec dissimiliter Dionys. Richelus lib. 1. de laud. Virginis Mariae, articulo 31. Huc spectant locus, & tempus quae ad Marianam Conceptionem quoquo modo pertinuerunt. Nam S. Hieron. lib. de ortu B. Mariae disertè scribit, Angelum Mariani conceptus hoc pignus Marii Annæ dedisse. Surge, ascendens Hierosolymam, & cum perveneris ad portam, quae Aurea vocatur, ibi pro signo virum tuum obvium habebis. Auream portam haud vacare autumo mysterio, quòd Regia puella per auream quodam modo portam tota aurea, tota mundissima in orbem esset ingressura. Aurea porta, felix exitit pignus Mariae mundissimae P. Ildeph. de Flores in Ecclesi.

In aurea hora, & porta Deipara concepta. S. Hieron.

Qui materiam auri violare non debatur, imò non fecit.

concipiendae. Quin & ipsissima Regina, Maria, cum tempus propriae conceptionis Briggittae revelaret lib. 6. cap. 55. ait: Hora, in qua ego concepta fui, bene potest vocari aurea hora & pretiosa, &c.

§. VII.

Præter materiam, opus etiam aurata vestis eandem exprimit Primogenitae Mariae immunitatem.

716 Regiae hujusce vestis artificiosissimum opus satis accuratè supra descripsimus à num. 689. Primò illam pulcherrimis Marianae nobilitatis scutis distinctum tam in ipsa tela florum, ac liciorum depressione, permutatione, permixtione intextis, quàm secundario opere Phrygionico affabrè depictis. Deinde inter scuta ipsa, candida lilia paribus inserta intervallis exhibuimus, eximia pulchritudine, striatis foliis, ab angustis paulatim in latitudinem sese laxantibus, resupinis per ambitum labris, tenui filo, & semine, stantibus in medio crocis, ut nativa ipsa ad vivum exprimerent. Singula nunc per partes distinguo, justisque commentariis compleo, pro Deiparae immunitate.

717 In primis, ut splendorem illis verbis concilium: Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata scutulis, assero, scutulata hac Primogenitae Mariae veste primam ejus fidem significari, qua à primo Conceptionis momento sese à communi Hoste praemunivit incolumem. Hoc ut clareat, observato scutum propriissimum esse tutelae, & incolumitatis symbolum, ut ex factis constet, & humanioribus exemplis. Moyses quidem Deut. 33: 29. Scutum auxilii Israelitici Deum com-pellat. Similiter David 2. Reg. 22. v. 3. 31. & 36. Atque haec Machabæorum lib. 1. cap. 1. Machab. 4. v. 57. Ornaverunt faciem templi scutulis. 4. vest. 57. Idem interpretor Simonis Pontificis fuisse consilium, qui Romani imperii auxilia sibi, suisque ut conciliaret, misit Numenium Romanam, habentem clypeum aureum, &c. lib. 1. Machab. c. 14. v. 24. Humaniora exempla passim obvia sunt, dedique in nostro opere de Martyrio lib. 3. p. 2. cap. 6. Igitur, cum Plates Primogenitam nostram scutis munitam celebrat, eximiam illam securitatem exprimit, quae undique contexta, atque à communis Hostis incurisibus, jaculis, ictibus cataphracta perpetuo vivit. Ideò aureum hoc incolumitatis scutum aureae telae immunitatis originariae intextum fuisse putamus; ut non prius Maria vitae humanae telam à Conceptione sit orsa, quàm scutum tenuerit, quo se à prima origine munitam praestiterit.

S. Brigitta

Scutulata Maria vestis

Deut. 33: 29

Et c. 14. 24

Deipara scutis munita ab hostibus

Fides scuti in Bar.

In Ephes. 6. 16.

718 Sed quoniam, inquis, virtutis, aut gratiae nomine Marianum hoc scutum appellas? Haud meliorem certè symboli quaestionem interpretem, quàm Apostolum Paulum militiae Christianae clypeum, Fidem nominat, idque eà potissimum ratione, quòd Fides & firmissima sit, & universalis hominis munitio. In Ephes. 6. 16. Pro scutum est Graece θυρακ, à θυρα id est, janua, quòd scutum januae formam haberet. Unde Theophylactus ibi: Quem admodum scutum toti corpori obiectum est, Q 3 cent